

059

057

063

053

068

048

108

008

158

Ende

Anfang

44

habuimus, et defectum aquae, panis et aliorum patiebamur.
Ejecti autem sumus per inutilem ventum a conspectu Cypri,
et tribus diebus ac noctibus nullam terram vidimus; et post
hoc iterum ad latus Cypri delati sumus ad portum Paphum,
de quo fit mentio Actor. 13. Et in illo portu neces-
saria emimus, et citius ab eo recessimus, et inutiliter sine
profectu ad latus Cypri ferebamur. Ad haec diffortunia
accessit aliud valde triste. Nam eadem nocte gubernatoribus
occupatis circa vela et Galēac instrumenta, ecce ex improviso
de supremo mali una trochlea decidit, et optimum gubernatorem
tangens extinxit, ad cujus nutum universi marinarii Galestroli
et Galeotae movebantur. Magnus ultra modum planctus factus
est in Galēa de morte illius viri: nec erat sibi similis in Galēa,
qui succederet in locum ejus. Multis autem diebus taediosam
fecimus navigationem, et Cretem portum optavimus attin-
gere, et longius a Rhodo recedere, sed parum profecimus.
Interea die quadam vidimus a longe super mare contra nos
Galēam praedalem properantem, et vehementer timuimus,
aestimantes (17 A) Turcos venire: sed dum proximior fieret,
cognovimus esse Galēam Venetianam, et depositis armis, quae
produci jusserrat Patronus pro defensione contra Turcos,
praestolabamur praesentiam illius Galēae ad audiendum rumores
novos. Quae cum praesto esset, intelleximus Turcum a Rhodo
cum exercitibus suis confusum et victum recessisse. Ad haec
nova gaudio ineffabili repleti sumus, et rostrum Galēae ab
itinere caepto avertimus, et ad Rhodum Insulam nos conver-
timus. Ad quam tamen propter ventorum inutilium impedimenta
in multis diebus non venimus. Imo in terminos Turcorum
projecti sumus, et aulonem quendam navigavimus in quo ab
utraque parte terram et montana Turciae habuimus. Innovatus
est inter haec timor noster, et timebamus, quod Turci nos
videntes forte in nos saevirent, propter confusionem, quam in
Rhodo acceperant, vindicandam. Nullum etiam ventum
habuimus et taediosissima navigatione inter Turcorum mon-
tana processimus, pigro remorum tractu. Tandem advenit
ventus, quinos liberavit, Galēamque repente ad Insulam
Rhodum impulit, longe tamen a Colossenium civitate, ad
latus montanorum processimus. Ad locum autem quendam

